

## TITULUS XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM, ET DE DOTE  
POST DIVORTIUM RESTITUENDA. <sup>a</sup>

127. *Nota I.* Inter conjuges donationem triplicem distingui:—1.<sup>o</sup> *Donationem ob causam*, quæ non fit merè liberaliter, sed ex causa extrinseca, v. g. propter matrimonium, uti dos et donatio propter nuptias.—2.<sup>o</sup> *Donationem remuneratoriam*, seu *antidotalem*, quæ fit ex gratitudine ob aliquod beneficium aut servitium præstitum.—3.<sup>o</sup> *Donationem merè liberalem et gratuitam*, quæ fit ex solo motivo liberalitatis, et ob nullam aliam causam extrinsecam: et hæc propriè et strictè est donatio, vel inter vivos, vel mortis causa.

*Nota II.* Dotem à donando dici, eamque tripliciter accipi:—1.<sup>o</sup> *Formaliter* pro pacto, quo bona dotalia determinantur.—2.<sup>o</sup> *Objectivè* seu materialiter pro ipsa re seu bonis in dotem datis.—3.<sup>o</sup> *Effectivè* pro jure, quod marito vel uxori in bona dotalia competit. Dotis correlativum est *donatio propter nuptias*, seu *contrados*, quæ iisdem tribus modis accipitur. Hic duo ista potissimum accipimus objectivè: quo sensu *dos* est certa res in specie vel quantitate, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine datur marito ad sustinenda onera matrimonii, putà ad alendam uxorem, liberos et familiam. *Donatio propter nuptias* est, certa res in specie, vel quantitate à marito, vel alio ejus nomine destinata in securitatem dotis: unde sequitur conditiones dotis, eique adæquari debet. Olim dicebatur *donatio ante nuptias*, quia ante has fieri debuit, ità ut, constante matrimonio, nec fieri nec augeri potuerit (*l. 1. et seqq. ff. h; t.*) sed ex Constitutione Justiniani Imp. dicta est *donatio propter nuptias*, et constante matrimonio, non solum augeri, sed et initialiter constitui potest exemplo dotium (*l. 19. et fin. C. de donat. ante nup. §. 3. In. de donationib.*)

*Nota III.* Dotem dividi:—1.<sup>o</sup> *In promissam*, quæ pacto promittitur absque traditione: quod pactum ex assistentia legis vim habet stipulationis (*l. 6. C. de dotis promiss.*), et *constitutam*, quæ vel actu inter vivos est tradita, vel per ultimam voluntatem relicta. Neque extirpanda est ex jure *dos promissa* ut vult Lauterbach, cùm *cit. rubrica codicis* de illa habeatur, et frequenter ejus mentio fiat in jure, ut *l. 57. 59. etc. ff. de jure dot.*—2.<sup>o</sup> *In profectitiam*, quæ datur à patre vel

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Pandectis *lib. 23. tit. 3. et seq. l. 24. tit. 1. 3.*—In Codice *l. 5. tit. 11. usque ad 23.*—Nov. *22. c. 26. cum seqq.*

alio ascendente, vel ab extraneo contemplatione patris (*l. 5. pr. et §. 2 ff. eod.*); et *adventitiam*, quæ extrinsecus advenit, non à patre vel ascendente alio, sed vel à matre, avo materno, fratre, vel alio extraneo (*lib. 33. et seqq. ff. eod.*) Si ipsa uxor sibi dotem constituat, non habet proprium nomen, licèt dicatur profectitia (*l. 5. §. 11. eod.*) Præter dotem seu bona dotalia habet uxor bona *paraphernalia* et *receptiva*. *Parapherna* strictè accepta sunt illa bona, quæ uxor absque dotis titulo tradidit marito administranda (*l. fin. C. de pact. convent.*) Latè autem accipiuntur pro *receptitiis*, quæ uxor sibi reservavit, neque voluit esse in potestate mariti.

*Nota IV.* Ad donationes conjugum referri etiam morganaticam, munera nuptialia, et dotalitium, quæ pro usu regionum varie à variis explicantur. *Morganatica* seu morgengaba, latinè donum matutinale, est donatio, quam maritus facit uxori altero nuptiarum die in remunerationem delibatæ virginitatis. *Munera nuptialia* sunt illæ donationes, quæ fiunt à parentibus et amicis in gratiam novorum conjugum, ut æqualiter inter eos dividantur. *Dotalitium* seu usufructus est id, quod à marito constituitur uxori in compensationem dotis. Unde uxor, si velit dotalitio frui, doti ab hæredibus mariti repetendæ, renuntiare debet; Schmier etc.

Jam in hac materia ampla, ad jus civile pertinente, strictè agam: primùm de donante; deinde de donationibus inter virum et uxorem; tandem de restitutione dotis, soluto matrimonio.

128. Q. I. *Quis, qua forma, et in qua re possit dotem promittere aut constituere?*

R. 1.<sup>o</sup> Non tantùm mulier pro se ipsa, sed quicumque alius liberam rerum administrationem habens, potest pro muliere dotem constituere, vel promittere (*l. 41. ff. de jure dot. l. fin. C. ad SC. Vellej.*); nam beneficium alteri præstare nemo prohibetur.—II. Ipsa mulier non tenetur se ipsam dotare, cùm matrimonium absolutè sine dote consistere possit (*l. fin. V. sicut autem C. de donat. ante nup.*), et ideo si mulier permittat maritum rebus suis uti absque ulla mentione dotis, non præsumitur eas in dotem dedisse; sed ut paraphernalia tradidisse.—III. Inter eos verò, qui obligantur mulierem dotare, est primò pater; quia *paterni officii est dotem vel donationem propter nuptias pro sua dare progenie* (*l. fin. C. de dotis promiss. l. 19. ff. de ritu nuptiar.*), etsi filia sit dives, vel nupserit absque mentione dotis; quia jura indistictè loquuntur. In defectum patris obligatur avus paternus (*l. 6. ff. de collat.*), tum mater (*l. 14. de jure dot.*), et probabiliter frater pro sorore germana aut consanguinea, saltèm de honestate dotem dare debet (*arg. l. 12. §. 3. ff. de admin. tut.*) De jure Canonico deflorator tenetur defloratam ducere vel eam dotare (*c. 1. et 2. de adult.*)

2.<sup>o</sup> Promissio vel constitutio dotis fit per *pacta dotalia*: quæ sunt, conventio super dote danda, conservanda vel retinenda, vel super bonis ceteris. *Simplicia*, quæ fiunt actu inter vivos, seu mero contractu, de jure com. valent; nec testes requiruntur, nisi duo ad probationem,

suntque per se irrevocabilia (l. 2. 14. ff. de pact. dotal.) *Mista*, quæ transeunt in ultimam voluntatem, et futuram conjugum successionem continens, reprobantur à jure com. (l. 5. C. de pact. convent.); sed ex consuetudine sustinentur, dummodò solemnitatis ultimæ voluntatis habeant.

3.º In dotem dari potest res quæcumque mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, ususfructus vel proprietas (l. 4. et seqq. C. et l. 7. et c. ff. de jure dot.), imò et feudum; attamen absque æstimatione per modum venditionis (l. 2. F. tit. 13. 17. et 55. pr.) Si omnia mulieris bona in dotem data, ei læsæ succurritur (l. 4. C. de jure dot.) Si verò res aliena bona fide data est, transfertur in maritum conditio usucapiendi ex tit. ff. pro dote. Si tandem proprium debitum mariti in dotem datum est, is liberatur à solvendis usuris; alioquin nullum fructum ex dote haberet (l. 76. ff. de jure dot.)

4.º Effectus dotis promissæ ex parte promittentis est obligatio eam constituendi seu tradendi, et ex parte promissarii est jus et actio ex stipulato ad illam, secutis nuptiis, exigendam (l. un. §. 1. C. de rei uxor. act.)—II. Effectus dotis constitutæ seu traditæ est in marito dominium civile bonorum dotalium, ità ut fructus percipere, et constante matrimonio, suo nomine pro bonis istis agere possit; et econtrà obligetur ad onera matrimonii sustinenda (l. 7. ff. de jure dot.) Et quidem, si in dote datæ sunt res mobiles, vel quantitates immobiles æstimatæ per modum venditionis, maritus fit absolutus illarum dominus, et ad eum pertinent commoda et incommoda, seu pericula; ità ut soluto matrimonio, teneatur æstimationem præstare, vel ipsas res, etsi deterioratæ sint sine culpa illius restituere (c. 10. 42. ff. de jure dot.) At si res immobiles non æstimatæ per modum venditionis, licèt taxatæ sint ad explorandum pretium, in dotem datæ sint, maritus non fit illarum absolutus dominus, sed tantùm fictus seu civilis, dominio vero et naturali remanente penes uxorem: et ideo si res istæ casu pereant, pereunt uxori tanquam dominæ. Neque maritus tales fundos dotalis etiam cum consensu uxoris, alienare potest, nisi mulier biennio exacto, de novo in talem alienationem consentiat, cum elidatur præsumptio de muliere seducta (Nov. 61. cap. 1. §. 1.), vel nisi alienationi accedat juramentum mulieris (cap. 23. de jurejur.) At respectu paraphernorum maritus nullo modo fit dominus, sed merus administrator, seu procurator, attamen sine mandato; et licèt fructus ex iis collectos possit expendere in us us communes, sibi et uxori (cap. fin. C. de pact. convent.), non tamen eos lucratur, sed soluto matrimonio, tenetur extantes, vel malè consumptos cum paraphernis restituere (Menoch. Engl. et alii.) Hæc proportionaliter applicanda sunt donationi propter nuptias, quæ imitatur dotes, et soluto matrimonio, redit ad maritum vel patrem, aut alium extraneum donantem, sicut dos ad uxorem (§. 3. In. de donat. Nov. 97. cap. 1. et 2.) Jam occasione bonorum extradotalium (dotalia enim alienari prohibentur) quæstio oritur, an uxor et maritus ex illis aliquas sibi donationes facere possint: pro quo sit:

## 129. Q. II. An valeant donationes inter virum et uxorem?

R. 1.º Donationes merè liberales, quibus donans efficitur pauperior, inter conjuges factæ, sunt invalidæ de utroque jure (l. 1. ff. et c. fin. h. t.), ne conjuges mutuo amore spolientur, ne conjugalis concordia sit venalitia, et ne ipsa matrimonia discutiantur et dissolvantur, si non donet is, qui posset, ut ait Paulus lib. 2. eod.: consuetudo tamen moderatas donationes permittit. Porrò donatio ista ex parte donantis, utpote invalida, nullam obligationem inducit: ac proinde donatum repeti potest, ità exigente bono publico (l. 3. §. 10. eod.) At ex parte donatarii, rem ex voluntate domini retinentis, nulla est iniquitas, donet res per donantem revocetur, et tunc obligatio est restituendi. Exempla talium donationum vide in ff. h. t. At ceteri contractus et æqualitatem inter conjuges celebrati, sunt validi, cum alter non fiat pauperior, nec alter ex bonis alterius locupletetur (l. 5. §. 5. ff. h. t.)

2.º Donationes ob causam extrinsecam factæ, v. g. ob causam necessitatis, commiserationis, pietatis vel commodi in donantem resultantis, sustinetur: ut si uxor aliquid marito donet pro refectione ædium, pro gradu Doctoratus etc.: vide l. 5. 14. 15. 40. 43. ff. h. t.—II. Donationes modicæ, v. g. in die natali aut onomastico (l. 3. §. 8. l. 42. eod.)—III. Donationes inter Augustum et Augustam (l. 26. C. h. t.): uxor tamen, vivente patre suo, non potest omnia sua pretiosa Augusto donare; Konig.—IV. Donationes remuneratoriæ, modo non sint excessivæ; cum non sint propria donationes ex mera liberalitate (l. 1. 17. ff. de donat.)—V. Repudiatio hæreditatis vel legati facta in gratiam uxoris substitutæ, quia repudians non perdit de suo, sed tantùm non acquirit (l. 7. §. 13. 14. ff. h. t.)—VI. Cessio lucrorum ante nuptias facta ex pacto; quia vim habet contractus onerosi; at post nuptias, ubi jus quæsitum est ad lucra communia, non potest fieri talis cessio; quia per illam patrimonium cedentis diminuitur: dos tamen non tradita, uxori remitti potest (l. 54. ff. h. t. 19. v. sed etsi C. de donat. ante nupt.)

3.º Donatio invalida, si non revocetur, morte donantis conjugis convalescit (c. fin. h. t. l. 23. §. 1. ff. et l. 25. C. eod.); nam tunc cessat motivum prohibitionis, scilicèt, ne amor conjugum sit venalitiuus; dummodò donatio 500 solidos excedens facta fuerit cum insinuatione apud judicem, et res donata sit saltèm fictè tradita donatario (l. 23. ff. h. t.): quo casu etiam fructus rei donatæ fiunt donatarii; quia confirmatio per mortem retrotrahitur ad tempus, quo donatum fuit (c. 25. C. h. t.)—II. Morte civili donantis, licèt donatio confirmetur respectu fisci, ut is eam revocare non possit, non tamen confirmatur respectu donantis; quia is hodie non fit servus pænæ; si verò factus est servus hominis, vel religiosus, donatio auctoritate domini vel prælati revocari potest; nisi religio incapax esset successionis: ità hæc statuuntur l. 24. cum seq. auth. et l. 25. C. h. t.

130. Q. III. Quando dos repeti possit, et quæ veniant in dotis restitutionem?

R. 1.<sup>o</sup> Dos regulariter repetitur, soluto matrimonio (*c. fin. h. t.*); quia cessat causa sustinendi onera matrimonii, nisi conventum sit de dote lucranda (*l. 10. C. de pact. convent.*) Constante autem matrimonio, dos in tribus casibus repeti potest: si maritus sua culpa ad inopiam vergat; si pœnam confiscationis patitur; si uxor non habeat, unde alat liberos prioris matrimonii, parentes, fratres et sorores (*l. 24. ff. solut. matr. l. 31. eod.*), nisi maritus ad inopiam vergens, velit dare fidejussores: quo casu iudex arbitrabitur, an dos remanere debeat apud maritum, vel deponi apud sequestrem, ut is maritus fructus det pro sustinendis oneribus matrimonii: ità *Can. ex c. 7. h. t.*, licet Legistæ velint, in casu inopiæ dotem non esse relinquendam marito.—2.<sup>o</sup> In restitutionem dotis venit, quidquid maritus dolo, vel culpa lata aut levi in re dotali fecit (*l. 17. ff. de jure dot.*) Si quantitates, vel corpora per modum venditionis æstimata, perierunt fortuito, periculum est mariti tanquam domini; adeoque æstimationem restituere debet. Si autem res immobilis, vel mobilis non fungibilis, non æstimata per modum venditionis, casu periit, damnum est uxoris, tanquam dominæ, et consequenter non venit in restitutionem dotis. Privilegia dotis vide *lib. 3. tit. de pignor.*—3.<sup>o</sup> In restituenda dote marito competit beneficium, seu *exceptio competentiae*, ne cogi possit in solidum, sed in quantum potest, salva sua honesta et competenti sustentatione (*lib. 13. 15. ff. solut. matrim.*); quia inhumanum est, ut uxor maritum in paupertatem redigat. Quia verò exceptio ista est personalis, non competit hæredibus mariti, nec directè fidejussoribus. Ceterum præter dotem alia bona et lucra, quæ quilibet conjugum ex sua pecunia sibi comparavit, non sunt restituenda (*l. 6. C. si quis alteri. l. 12. C. de jure dot.*); nisi communiter utrique obvenissent, v. g. ex legato, donatione etc., quo sensu procedit *cap. 2. h. t.*

131. Q. IV. Cui dos restituenda sit?

R. 1.<sup>o</sup> Si ipsa uxor dotem dedit, dos ei, vel ejus hæredibus restitui debet (*lib. unic. princ. Cod. de rei uxor. act.*)—2.<sup>o</sup> Si dos fuit profectitia à patre vel alio paterno ascendente, et durante patria potestate, matrimonium solvatur, dos redit ad dotantem, non verò ad hæredes dotata, nisi aliter conventum sit (*lib. 4. Cod. solut. matrim. libr. 10. ff. eod.*); nam liberi, licet matri succedant, exclusis ascendentibus, ista tamen successio non est in bonis profectitiis (Reiff. ex *Nov. 118. cap. 1.*) At si dotata fuit emancipata, sicut ex consuetudine Germaniæ communiter per nuptias emancipatur, dos redit ad uxorem vel ejus hæredes (*cit. lib. unic. Cod. de rei uxor.*), quia per emancipationem dos desinit esse profectitia.—3.<sup>o</sup> Dos adventitia cum pacto restitutionis data, redit ad donantem: secluso tali pacto, remanet uxori, vel ejus hæredibus, quia censetur esse donata (*cit. lib. unic. §. 13.*)—4.<sup>o</sup> Si matrimonium bona fide cum impedimento dirimente contractum est, dos uxori, et donatio propter nuptias marito restituitur, excluso beneficio competentiae (*cap. 1. h. t.*); nam datum ex causa, causa non sequuta, repeti potest in solidum, cum hic cesset reverentia maritalis. At si scienter

matrimonium contractum est cum impedimento dirimente, dos, et donatio propter nuptias amittitur, et fisco applicatur (*lib. 4. Cod. de incest. nupt.*), quæ lex videtur comprehendere omnia matrimonia de jure Canonico reprobata; nisi consuetudo aliter jura ista interpretetur.—Et hæc de restitutione dotis procedunt, sive matrimonium solvatur tantum quoad thorum et cohabitationem, sive quoad vinculum per mortem.

132. Q. V. Quando amittatur dos vel donatio propter nuptias?

R. 1.<sup>o</sup> Si ex causa adulterii formalis in specie sua completi fiat divortium, uxor innocens donationem suam repetit, et lucratur dotem; ut hoc modo gravissima injuria per adulterium illata, aliquatenus innocenti compensetur: ità de utroque jure (*c. 4. plerumque h. t. l. 8. §. 4. 5. C. de repud., Nov. 117. c. 8. §. 2.*) Quæ tamen jura pœnalia non extenduntur ad oscula, tactus et alias causas, ex quibus fit divortium: imò probabilius nec ad casum copulæ sodomiticæ, utpote non expressum. Rectè tamen Clar., Far., Reiff. et alii dicunt huic pœnæ esse locum, si in matrimonio putativo committatur adulterium, quia est formaliter tale, licet deinde detegatur impedimentum dirimens. Neque jura ista extenduntur ad bona parapherna uxoris, quia non sunt dos. Nomine *dotalitii* in *cap. 4. h. t.* venit vel donatio propter nuptias, (Sanch. et alii), vel ususfructus dotis loco constitutus, vel pretium et æstimatio dotis datæ in rebus numero, pondere et mensura constantibus.

2.<sup>o</sup> Cessat amissio dotis vel donationis propter nuptias in casibus seqq.:—I. Si adulter reconcilietur innocenti, sive ante, sive post sententiam divortii reconciliatio facta sit: siquidem *c. 4. h. t.* casus reconciliationis expressè et indistinctè excipitur.—II. Si uterque sit reus adulterii, quia tunc pœna mutua compensatione tollitur (*cap. 5. et fin. de adult. l. 39. et 47. ff. solut. matr.*)—III. Si maritus consensit in adulterium uxoris, vel leno fuit (*cit. lib.*)—IV. Si extent liberi ex eodem, vel priori matrimonio; tunc enim proprietas dotis eis cedit, et ususfructus manet penes innocentem quamdiu vivit (*Nov. 117. cap. 8. vers. Si enim filios.*)

## TITULUS XXI.

### DE SECUNDIS NUPTIIS. <sup>a</sup>

133. Soluta quoad vinculum matrimonio, transiri solet ad secundas nuptias, quarum nomine veniunt etiam tertiæ et ulteriores; suntque per se non tantum validæ, sed et licitæ omni jure: *Naturali*, quia

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto 31. q. 1. et 34. q. 1. 2.—In Codice *h. t.* et Novellis *eod. tit. allegatis.*

soluto vinculo et jure conjugali, nullum obstaculum est corpus suum alteri tradendi ad usum conjugalem; *Divino*, quod insinuat Apostolus I, Cor. 7. v. 39.: *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat; Ecclesiastico*, ex toto *h. t.*, quæ jura quotidiana praxi firmata sunt. Illustre est exemplum, de quo meminit Menoch., quod quædam femina, tempore Damasi Papæ, successivè vigesimo viro nupsit, qui antea viginti quinque uxores sepelierat. Erant tamen in Ecclesia Orientali certæ causæ, ob quas tertiarum et posteriores nuptiæ non facillè admittebantur, prout notat Spondan. et alii ex *Can. 8. et seq. 32, q. 1. etc.*

134. Q. I. *Quid requiratur ad hoc, ut secundæ nuptiæ ritè contrahantur?*

R. 1.º Notitia moraliter certa de obitu prioris conjugis; *c. 19. de sponsal.*, ubi requiritur *nuncium certum*, putà in genere neutro, seu relatio certa de morte conjugis prioris: et *c. 2. h. t. Lucius III.* rescribit christianis in captivitate positis: *Id vobis respondemus, ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* Constare autem est notum certè esse. Ratio est, quia probabilis notitia non sufficit ad secundas nuptias; tum ne jus certum per incertum tollatur; tum ne irreverentia priori Sacramento inferatur, et secundum invalidè attentetur; tum quia præsumptio de vita est fortior, donec contrarium certo probetur (*l. fin. C. de SS. Eccl.*) Ità explicatur *Can. 1. cum seqq. 34. q. 1.*—Nec obstat *c. fin. §. porò, ut lite non cont.*; nam ibi *verisimilis notitia* requiritur, ne conjugii alteri absenti defensio exceptionis præcludatur contra judicium, quo matrimonium ob impedimentum dirimens dissolutum fuit.

2.º Notitia certa coràm judice Ecclesiastico probanda est per indicia moraliter certa, uti sunt:—I. Si parochus testetur, quod mortuum conjugem sepelierit.—II. Si id testetur magistratus politicus, militaris, vel notarius publicus.—III. Si duo testes de visu deponant de obitu illius, quod interfuerint ejus morti, sepulturæ, aut viderint ejus sepulchrum. Ipsa tamen pars matrimonium petens, non admittitur pro hoc testimonio, cum generaliter in propria causa nemo sit testis idoneus (*l. 10. ff. et l. 10. C. de testib.*)—IV. Si præter unum testem de visu adsint alia indicia verisimilia mortis, v. g. quia maritus fuit senex, æger, constitutus in periculosa navigatione, vel loco peste infecto, vel in pugna, ubi multi perierunt, vel si testes deponant ex fama, quod hoc audiverint à majori vel digniori parte civitatis aut legionis etc. Secùs sola fama sine adminiculis non probat: uti nec unus testis, quia vox unius, est vox nullius (*c. 10. in fin. l. 9. C. de test.*) Excipit Sanchez casum, quo conjugis obitus dicitur accidisse in loco valde remoto, unde probatio sperari non potest: si enim plena probatio non speratur, sufficit probatio ex conjecturis (*l. 5. §. 6. ff. de re militar. Schmalz et alii.*)

3.º Habita certitudine morali, parochus, nulla Ordinarii licentia petita, assistere potest matrimonio; nam tali casu habet licentiam copulandi à Jure datam, et cum certus sit, certiorari ulterius non debet,

per *reg. 31. in 6.* In dubio autem recurret ad Ordinarium, cujus judicare est de sufficientia indiciorum. Quòd si Ordinarius videat probationem non usquequaque esse plenam, defert juramentum conjugii, quod non sciat, neque credat conjugem amplius vivere; Reiff.

4.º Si post matrimonium bona fide contractum conjux moraliter certò resciat priorem conjugem adhuc vivere, illicò abstinere debet ab omni usu matrimonii; quia hoc ob impedimentum ligaminis est invalidum; etsi nullitatem matrimonii statim probare nequeat (*c. 1. in fin. 34. q. 1. c. 2. h. t.*) Si verò conjux, quo viventè, matrimonium contractum est, jam mortuus fuit, matrimonium novo consensu convalidandum erit, et tunc licebit eo uti. Si dubium oriatur, eadem observanda erunt, quæ dixi *tit. 1. n. 13.*

135. Q. II. *An benedicendæ sint secundæ nuptiæ?*

Ante resp. *nota* benedictiones nuptiales, aliasque cæremonias, quæ fiunt ad honorem hujus Sacramenti, et gratiam conjugali statui necessariam impetrandam, licitas omnino et honestas esse, ut vi anathemate definit *Trid. sess. 24. Can. 11.* Danda autem est benedictio primis nuptiis ex præcepto Ecclesiæ, quod secluso contemptu, non videtur graviter sub mortali obligare, cum *Trid.* potius hortetur ad illam recipiendam, quàm graviter præcipiat (*ibid. c. 1. de ref. matr.*), et consequenter consummatio matrimonii ante benedictionem susceptam non videtur excedere veniale peccatum. Spectat verò benedictio ista ad parochum proprium; secùs alius sacerdos, qui sine licentia parochi ausus fuerit benedicere nuptias, ipso jure incurrit suspensionem, donec ab Ordinario illius parochi absolvatur. Vide supra *tit. 3.*

R. 1.º Cum jus commune non sit certum circa benedictionem secundis nuptiis impertiendam, attendi debent consuetudines, statuta et ritualia cujusque diocesis. Sunt autem hic variæ sententiæ:—1.ª docet secundis nuptiis nunquam dari posse benedictionem ob generalem testum *c. 3. h. t.*, et ideo pœnam suspensionis statutam esse benedicti (*c. 1. eod. Tabiena etc.*)—2.ª docet semper illam dari posse, quia benedictio ista, cum non sit Sacramentum, iterabilis est, non obstante *c. 3. h. t.*, cui locus est eo casu, quo benedicuntur nuptiæ secundæ, primis constantibus; Lopez.—3.ª docet benedictionem non esse dandam, sive vir, sive mulier in primis nuptiis benedictionem accepit, quia pars benedicta trahit ad se non benedictam; Covar. et alii.—4.ª docet benedictionem esse dandam, si viduus ducat virginem; non verò si vidua transeat ad secundas nuptias. Hæc sententia videtur frequentior in praxi, et pro eo allegari solet S. D. in suppl. *q. 63. à 2. ad 3.* Ratio congrua sumitur ex significatione hujus Sacramenti, quæ non ità perfectè solvatur, si mulier sit binuba, quia sponsa Christi est unica Ecclesia, in qua tamen Christus habet plures personas desponsatas. Ceterum cum benedictio impendatur personis, non erit repetenda, si revalidetur matrimonium nulliter contractum.

2.º Suspendio lata in *c. 1. h. t.* contra benedicientem secundas nuptias in casu non permissio, videtur restringenda ad casum, quo sacer-

dos benedicit nuptias secundas, primis exstantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, conformiter Trid. *sess. 24. c. 1. de refor. matr.*: alioquin pœna ista esset nimis gravis, et gravitatem delicti excedens: ita Joan. Andr., Menoch., Saneh., Reiff. et alii: imò Abbas aliique cum illo dicunt non esse ibi constitutam pœnam ordinariam, sed specialem pro illo dumtaxat casu, qui ibi accidit.

136. Q. III. *Quæ sint pœnæ binubentium?*

Nota pœnas istas à jure civili introductas esse duplicis generis: aliæ sunt pœnæ propriæ dictæ, quæ statutæ sunt in odium et vindictam præmaturi transitus ad secunda vota; aliæ sunt pœnæ improprie dictæ, seu subtractiones favoris sub conditione concessi: si conjux ad secunda vota non transiverit, idque in favorem et utilitatem liberorum ex priori matrimonio existentium; adedque illis non existentibus cessant (*l. 3. §. 1. C. h. t.*)

1.<sup>o</sup> Pœnæ primi generis propriè dictæ, latæ contra viduam intra annum luctus nubentem, sunt quinque:—I. Infamia, qua notatur tam mulier, quàm vir eam ducens, et quidem ipso jure (*l. 1. C. h. t. l. 1. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.*), ut evitetur turbatio sanguinis et incertitudo prolis. Quæ ratio cessat in viduo, ac proinde is citra infamiam quandocumque ad secunda vota convolare potest.—II. Incapacitas disponendi, ne mulier plus tertia parte bonorum titulo dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre possit, sed duæ partes manent prioribus liberis, vel aliis legitimis hæredibus, atque ita mulier partim testata, partim intestata decedat (*lib. 1. Cod. h. t.*); idem dic de donationibus, cum non convalescant, nisi per mortem.—III. Incapacitas obtinendi hæreditatem, legatum, fideicommissum, mortis causa donationem ab alio, quàm marito secundo; *ibid.*—IV. Amissio omnium eorum, quæ prior vir sibi reliquit titulos hæreditatis, legati, aut alio simili (*cit. l. 1. et 2. eod.*), quæ bona cedunt consanguineis viri primo vel secundo gradu conjunctis, et his deficientibus, fisco.—V. Incapacitas succedendi ab intestato consanguineis ultra tertium gradum; *ibid.* Unde mulier non succedit filio patrum, quia est in quarto gradu secundum jus civ. quod in successione observatur. Pœnæ istæ non extenduntur ad virum binubentem, cum in hoc non currat eadem ratio (*l. 4. c. ad. SC. Tertull. Nov. 22. c. 22.*)

2.<sup>o</sup> Pœnæ secundi generis improprie dictæ sunt pariter quinque:—I. Amissio domini directi eorum, quæ ex liberalitate vel ultima voluntate mariti ad eam pervenerunt, ita ut retineat solum usumfructum, et proprietas cedat prioribus liberis (*l. 3. et 6. §. 1. c. h. t.*) Idem dic de viduo (*l. 5. pr. et §. 1. eod.*)—II. Incapacitas plus dandi marito, quàm uni ex liberis etiam in minima portione, legitimam tamen adæquante (*l. 6. 10. per. eod.*), ne insano amore novi conjugis capta, plerasque facultates in eum effundat.—III. Amissio tutelæ liberorum (*l. 2. et auth. sacramentum C. quando mulier tut. offic.*); imò si à judice non petierit tutorem liberis dari, incidit in pœnas nubentibus intra annum

luctus constitutas (*auth. eisdem C. eod. Nov. 22. c. 40. v. ideoque.*) Quæ tamen dispositio non extenditur ad executionem testamenti, quia in odiosis arg. à tutela non valet ad testamentum.—IV. Privatio educationis liberorum, qui apud alium educari debent (*l. 1. C. ubi pupill. educ. Nov. 22. c. 38.*)—V. Amissio honoris et privilegiorum, quibus gaudet vidua, quatenus fingitur esse sub præcedenti matrimonio (*l. fin. C. de bon. mater. l. 13. C. de dignit. Nov. 22. c. 36.*) Unde si mulier, quæ vi matrimonii facta est principissa, nubat marito inferioris conditionis, perdit nomen et prærogativas principissæ.

3.<sup>o</sup> Non tantum infamia, sed probabilius etiam reliquæ quatuor pœnæ primi generis sublatae sunt per jus Can. *c. 4. et fin. h. t.* ita comm. contra Cynum, Olivam, Barbos. Nam licet in citt. capitulis mentio expressa fiat solius infamiæ, tamen ratio ibi adducta generaliter procedit de ceteris pœnis propriè dictis; quia puniri non debet, qui non delinquit, sed utitur jure suo: sed vidua intra annum luctus nubens, non delinquit, sed utitur jure sibi concesso à natura, Christo et Ecclesia; ergò.—Nec obstat, quòd leges civiles ex fine suo sint honestæ: nam ex alio capite rejiciendæ veniunt: quia nimis restringunt libertatem et commoditatem acquirendi matrimonii per se liciti, et à Christo concessi: fovet periculum incontinentiæ, præsertim in viduis junioribus, quas Apostolus vult nubere; ergò meritò dicuntur per Ecclesiam sublatae.

4.<sup>o</sup> Pœnæ secundi generis manent in suo robore; nam nullibi per jus Can. reperiuntur sublatae; ergò cur stare prohibeantur? Isti enim favores, et lucra ex mariti facultatibus quæsita concedi possunt sub conditione non mutandi statum vidualem. Consuetudo tamen in plerisque regionibus jura ista temperavit; quia sæpius pupillis melius est vivere in domo vitrici, quam egere cum matre vidua.

5.<sup>o</sup> Vidua intra annum fornicans, incurrit pœnas primi generis; ceteras verò incurrit, quocumque post annum luctus fornicetur; *Nov. 39. c. 2. §. 1.*, ubi ratio additur: *Non enim aliquid amplius habet castitate luxuria.*—Neque pœnæ istæ respectu viduæ fornicantis sublatae sunt per jus Can., cum hoc de solo matrimonio loquatur. Item probabile est, quòd etiam viduus fornicans, privetur proprietate bonorum, quæ titulo lucrativo ab uxore accepit; siquidem in hoc puncto et ratione allata viduus et vidua æquiparantur. Porrò quia respectu fornicationis omnes istæ pœnæ sunt propriè tales, utpotè ob delictum statutæ, non incurruntur ante sententiam, saltè declaratoriam criminis; quæ declaratio non est necessaria respectu secundo nubentis; cum secundo nubere non sit delictum.